



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Angeli occulta cordium naturaliter cognoscere non possint

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

nos autem vix & cum magno labore investigamus eas, postquam res in actu constant.

8. *Non vident naturali-ter occul-ta cordis.* Quamvis eximia planè & singularis sit mentis Angelicæ vis & perspicacia, occultas tamen cordis humani cogitationes, & intra animæ substantiam abditos voluntatis actus naturaliter cognoscere non possunt. Hujusmodi enim secretorum cognitionem solius Dei propriam esse, testes sunt Sacre Literæ. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. 3. Reg. c. 8. v. 39. Prævarum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Jerem. 17. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas Mentium cogitationes intelligit. 1. Paral. c. 18. Eadem fuit constans Ss. PP. sententia Quæ in corde hominum insunt (inquit S. CHRYSOSTOMUS Hom. 24. in Joann.) nosse solius est Dei, qui singillatim corda finxit. Tu enim, inquit, nosti corda solus Et ex antiquis nonnulli, Christum esse verum Deum, ex eo confirmabant, quod secretas mentium cogitationes sæpe in Evangelio cognovisse, & patefecisse monstraretur. Inde S. FULGENTIUS contra Arianos disputans, Christum esse Deum ostendit, Cypriani utens testimonio, qui quod Deum esse cordium inspectorem dixerat, id Christo nominatim attribuit L. de Orat. Dom. dicens: Quia Deus, non voces, sed cordis auditor est: nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino & dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris (Luc. 15.) Et alio in loco (Apoc. 2) Et scient omnes Ecclesiæ, quia Ego sum scrutator renis & cor lis. S. AMBROSIIUS in c. 5. Lucæ: Dominus, inquit, salvos

NATURAE ANGELICAE. II

salvos volens facere peccatores, & occultorum cognitione Deum se esse demonstrat. S. AUGUSTINUS Serm. 134. de Temp. loquens de S. Jobo ait: Colebat Deum, faciebat eleemosynas: & quæ corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse diabolus; sed Deus noverat. Pariter S. HIERONYMUS in Ps. 16. Diabolus, inquit, in anima intrinsecus nescit, quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat. S. THOMAS in illa verba Apostoli I. ad Cor. II Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ait: nec angelus bonus, nec malus ea, quæ in corde hominis latent, scire potest, nisi in quantum per aliquos effectus manifestantur: cujus ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit eam ratione spiritum hominis cognoscere, quia in ipso est. Angelus autem neque bonus, neque malus illabitur menti humanæ, ut in ipso corde hominis sit, & intrinsecus operetur; sed hoc solius Dei proprium est. Unde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis.

Neque Angeli futura libera certò cognoscere 9. naturaliter possunt. Certam enim & infallibilem Ne- rerum hujusmodi cognitionem esse peculiarem Di- que vinitatis notam S. Scripturæ perhibent. Accedant, futu- & nuncient nobis, quacunque ventura sunt: priora ra li- quæ fuerunt, nuntiate, & ponemus cor nostrum, bera, & sciemus novissima eorum; & quæ ventura sunt, indicate nobis. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos. Isa. 41. v. 22. Et c. 44. v. 6. & 7. Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor ejus Dominus Exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & abs- que